# TAM BONO, INDULGENTI, CONSTANTI PATRONO DOMINOQVE MEO,

*ILLUSTRI, MAGNIFICO, NOBILISSIMO*

DOMINO

# GEORGIO HÜBENERO,

Sacræ Regiæ Majestatis Poloniarum Burggrabio, Reipubl. Thorunensis Pro-Consuli Seniori, Gymnasij Proto-Scholarchæ, laude majori,

*A. D.* 1700. *Ætatis* 72. *Novembr.* 11. *Supremum diem explenti, ejusdemque* 21. *in Avito Mausoleo, in Spem Resurrectionis contumulato, ultimo Stirpis suæ Viro,*

HANC

Pro Annorum aliquot Benevolentia, Consilijs, Beneficijs, Auxilijs,

NON FICTARVM LACRYMARVM

AMPULLAM,

nec sine sensu doloris,

Ego JOHANNES REZIK Gymnas. Thorunensis Professor Publ. & Visitator, reddo.

*Thorunij in Typographia Magnifici & Nobilissimi Senatus.*

Fingimus ambiguis quàm sæpe poëmata pennis.
Mentimur lacrymas, fletus, gestuque dolores
Immodicos testamur, & ora in mille figuras
Vertimus, & tremulas formamus voce querelas
Fluctibus abrepti veluti nimijque doloris
Æstibus, in mortem vibramus tela, furores
Illius impetimus verborum pondere magno;
Cum tamen immensas & mens & pectora gestent
Lætitias. Calamo Vatis non semper habenda
Fronti & nulla Fides. Fugiat vesana libido
Exitijque parens simulatio fronte dolorem
Ostentare docens & amicum fingere vultum.
Cor, animus, calamus, versus, meditatio, vires,
Ingenium, lacrymæ, mea quicquid corporis umbra
Continet, unius sint tanto in funere sensus,
Hubnerus quando cadit inferturque sepulchro;
Quando animam reddit Cœlis infundit & ossa
Terræ; quando tuos deponit Curia fasces;
Quando tuos linquit Schola mœrens tecta, labores;
Cùm linquit natam, neptem dulcemque maritam;
Et me cùm linquit fidum promptumque clientem
Hubnerus. Citius spernet Pactolus arenas
Auri quas volvit, contemnet Castora Pollux,
Deseret Æneas langventem ætate parentem
Gurgitibus medijs flammæ quàm mente recedant,
O Hubnere tuum nomen simulacraque vultus
Corporis & facies. Dicam: Sic ora ferebat.
Canities frontem decoravit qualis oloris

Est

Est vertex, sub qua posuerunt Numina sedem
Artis, Consilij validi, cui tradere habenas
Vrbs poterat Thoruna suas & divus Apollo.
Tu mihi delapsus fueras velut æthere summo
Patronus, ros ut fusus sitientibus agris
Nubibus, ut messi cœlo delabitur imber
Fertilis, & vires tribuit langventibus herbis;
Sic benefacta mihi tua donavere salutem.
Inclyta me quando, bone Vir, tua tecta tenebant
Quinque annis totidemque integris mensibus, hora
Muneribus mihi nulla tuis effluxit inanis.
Post mortem veneror laudo optatumque parentem,
Qui mihi dux fuerat pulchras Virtutis ut arces
Et artis nossem puer exhaustasque tueri
Has scirem, tamen ignoro cui debeo plura,
Patri an Hûbnero? sic consociantur amore,
Cum Patre *Patronus* mens ut cum corpore fluxo.
Nomine nam solo differt à Patre Patronus,
Non re, non cura, nec amore, favore perenni.
Et Pater & *Patronus* amat, favet ille tuetur;
Iste favet contra vim fortiter iste tuetur.
Pergama cùm patriæ meditabar ritè vocatus,
Queis me divorum Magnus *Pater* atque hominum Rex,
*Post* varios casus gentis post multa meorum
Funera, labentem voluit quoque ducere vitam.
Tune redire paras? & amas, ait, impie, flammas
Bellorum? in domibus clausis penetralibus hostem,
Tela, viros, gladios cernes & inania multa.
Per medios enses, & per discrimina mille
Ibis, perveheris rerum in discrimina mille
Ante oculos stabunt fluitantes ignibus Vrbes.



In

In Patrum nati natorum in ſangvine Patres,
Volvuntur. Præſtat pacis requieſcere lauru
Pruſſiaca, Attileum quàm laſſum quærere Regnum.
Agnovi mentem, venerabar pectus amicum,
Linquo tamen dulcem hanc animam carumque Patronum,
Lechica per nemora & currus & dirigo curſus.
Ite rotæ, dixi, terris Deus ipſe quietem
Atque meis auſis, ſpero, dabit ille ſalutem.
Ingredior Regnum (gelidus mea concutit oſſa
Horror, concreſcit nimia formidine ſangvis,
Dum memini quæ ſum paſſus quæ dira notavi,)
Relliquias hominum video domuumque ruinam.
Agnoſco adveniens paucos, agnoſcor & ipſe
Vix, quæro vix invenio cunabula gentis.
Patria da ſtabilem ſedem, da mœnia Civi,
Sæpius ingemui ut benè conſcia Numina teſtor.
In vanum cecidere preces patrijque penates
Linqvendi, ambiguo fuerant incerta viarum
Quærenda, impigras extendo ad ſidera palmas,
Poſcens auxilium, mala pandens ordine certo
Ceſſero nî fatis. Date currus, littora, ventos,
Numina ſancta, rogo, fugienti oſtendite metam.
Deſero Pannonicos fines curruque relicto,
Vita data eſt Ventis rate diſſeco fluminis undas.
Per nimbos hyemēque feror, mox gurgite vaſto
Jactor, denſatis veſtitur nubibus ignis
Solis, lux ceſſit ſylvas nox occupat atra.
Acceſſi tandem meliori ſidere ductus
Pruſſiacas terras dilecta & tecta Patroni,
Quem vidiſſe ſatis fuerat. Spes feſſa revixit.
Hunc compello Virum, noſtros cognoſcere caſus
Per-

Percupit attonitus: Quis te Deus intulit urbi?
Quærit, pertexo dejecto ſingula vultu.
Eccur celarem perſpecti certus amoris?
Excipit afflictum lacrymans propè: Collige mentem.
Sat tibi ſit, dixit, tantos viciſſe labores.
His iterum poteris ſalvus conſidere terris.
Te capiet rurſus pia Pruſſia, certa laborum
Hic requies fuerit nos inter pacis alumnos.
Excipit reducem veluti ſolet obvia puppis,
Sæpe virum vaſtis jactatum fluctibus Iſtri.
Quantos ille animi incerti pacaverit æſtus,
Dicere non facile eſt. Dapibus pateriſque levabat,
Protexit, rexit, digna ſtatione locavit.
Contudit inſultus tumidos avidumque nocendi
Repreſſit faſtum, docuit ſubmittere ſenſus,
Qvi nec ferre pares poterant nec frena volebant.
Prudenti illius ſemper ſermone movebar,
Cauſas explicuit quando rerumque receſſus,
Fortunamque ſuam, diſcendi pectoris ignes,
Quos vidit populos quos audivitque Magiſtros
Gymnaſio patrio, vel ab hoc ſummotus in oris
Belgarum, vel qua deſertus vixerit arte,
Quando Sarmatiæ Regnis fera bella tonabant.
Quantos tum Juvenes vicit dum voce Cathedras
Orando implevit Franeceræ Laurea dignus
Eſt habitus. Fuerat tam felix gloria lingvæ,
Ut Patres Urbis, Muſarum, Rhetora noſtrum
Cernere percuperent & ab illo diſcere geſtus,
Dicendique modos. Senium teſtatur abunde
Quis fuerit, quantus fuerit, quando ora reſolvit
Orator, pariter teſtatur Epiſtola docti
Schultzi, quem Gedanum, Francfurt & ſcripta loqvuntur.

*Do tibi, Lector, illam. Ita enim Vir Excellentissimus Dn. Iohannes Schultz, J. U. D. A. 1696. Mense Februar. ad Nostrum.*

## Illustris & Magnifice Domine.

*Expleri tandem passus es, avarum & penè inexplebile Orbis Literati desiderium, sermone inaugurali Tuo, publicæ jam luci dato. Mirantur omnes eximiam tuam dicendi facultatem, qua ita præ cæteris emines, ut non tantum Tui Ordinis, sed & Oratorum facile Princeps audias. Quantam vim esse oportet, quæ inter obstantia erumpit. Eam certè vim Eloquentiæ Tuæ agnoscunt vel æmuli artis istius, ut ab invitis applausum extorserit. Neminem verò tam arrogantis nostra ætate supercilij fore autumo, qui Tibi præferri aut comparari velle audeat, nisi eadem se dignum censura autumet, qua à Seneca olim notati, qui Ciceroni Cæstium suum præferrent, nisi lapides timerent. Equidem non indiget opus limatissimum privatorum Encomio, cum splendor ejus satis integer sit, & citra alienæ commendationis lumen, plerorumque convincat ac perstringat invidorum oculorum aciem. Nec is mihi ambitionis stimulus, ut laudibus tuis cumulum quendam exiguo applausu meo addi posse præsumam; id enim esset solaribus radijs lumen affundere velle. Indulgebis tamen affectui meritis Tuis licet impari, quo in æstimationem Tui, VIR ILLUSTRIS, cum reliqua literatorum turba velut torrente quodam abripior. Sed alieno illico utor ad excusandam audaciam, antiqui cujusdam Oratoris præsidio: Si mihi nimirum hoc nomine succenseas, quod Te minus, quàm tua Virtus meretur suspicio ac demiror, omnibus quoque mortalibus succenseas oportet. Hanc quippe liberioris vocis & calami licentiam, tradita Panegyrim legendi potestate, an cessisti mihi an impressisti potius, cui, ut olim ex Apollinis Lyra:*

Saxo

## Saxo sonus ejus inhæsit.

*Eloqventiam Tuam, VIR ILLUSTRIS, commendat res antiqua extra Eloquentiam, quo dignus Elogij genere, Orator quidam celeberrimus olim judicatus fuit. Themistium hic verè imitatus es. Is Musas Veneri amico junctas esse consortio ingeniose tradidit; illæ quippè purum & à barbarie sordibus depexum reddunt sermonem; hæc decus & splendorem addit, ut comptus benè ac politus facilius in aures animumque admittatur. Procul alienus ab anxia illa Svada, qua pedantissimi affectæ in nectendis verborum nodis operosè torquentur. Rem animus tuus primum occupavit, cui delectus verborum sententiarumque nitorem conjunxit. Illam porro Inventionis rarioris promptitudinem, Eloquentiæ præceptis haud debes, quin potius dotes ingenij Tui experientia firmati sponte natæ, ijsdem robur ac decus conferunt. Fateor legenti id evenisse mihi, quod olim auditoribus Cassij Severi, quorum illicò nemo non illo dicente timebat, ne desineret. Ast metum abstersit illicò convenientior Tibi laus, vel ipso Scauro judice, debita. Non minus videlicet magnam Virtutem esse, scire desinere, quàm scire dicere. Magnum id continentiæ in tanto rerum verborumque apparatu exemplum, imperare sibi posse, ne sermo veluti influxus videatur. Eadem ergò & exempli Tui, VIR MAGNIFICE, sequela, licet impare gressu, ductus scribendi licentia, terminum figo. Prolixiori verò sensu me profiteor esse*

Illustris Magnificentiæ Vestræ
Addictissimum & humillimum Servum
J. Schultz.

Jam tua non tangam, bone Vir, fortissima facta,
Curia quæ novit Schola quæ reverenter adorat,
Quæ depicta manent in grato pectore Civis.

Nec

Nec possum meritas pro tantis reddere grates
Muneribus, fateor, servusque Cliensque paratus.
Vivorum donec fragili regione morabor,
Te decus æthereum semper venerabor, amabo.
Præteriens quoties tua Sacra Sepulchra videbo,
Dicam: *Defensor meus hic mea Fulcra quiescunt.*

## Dedicatio.

*Admitte hunc animum, placeant Tibi dona Clientis,*
*Parva licet sint hæc sunt pia dona tamen.*
*Immensus pontus parvas quoque suscipit undas,*
*Tu magnus cùm sis suscipe parva, rogo.*

Et hoc scire juvat.
*Mors Sceptra Fascibus æquat.*
ANNO M. DC. LXXIII. Novemb. XI.
SERENISSIMUS REX POLONIÆ
M I C H A E L,
Exuta Mortalitate Animam Cœlo reddidit:
*ANNNO M. DCC. Novemb. XI.*
Burggrabius noster,
*Inania Terræ relinquens, Cœlum ascendit.*
*Utrumque utraque dies mœstum vidit & lætum.*
*Felix & eo, quod primus fuerit, qui collatam*
*Principi gratulabatur Majestatem.*

*** *** ***